



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1646**

De S. Bartholomæo Apostolo quæstio, An sit idem qui Nathanaël.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40233**

D E

# S. BARTHOLOMAEO

## A P O S T O L O .



**G**RATIAS acturi sancto Apostolo Bartholomæo, quo auspice, in die Festo eiusdem scribere cœpimus de sacris Ritibus, eam questionem examinandam duximus, quæ in summam eiusdem laudem, si piè senseris, definiri potest.

Vnica igitur esto laus, summa & vera laus, qua à Christo Domino laudatus ille fuit ijs verbis: *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est, Ioan. 1.* At, inquires, de Nathanaële fuit dictum. Ita est: sed Nathanaëlem eundem esse ac Bartholomæum, in summam vtriusque laudem facillè persuademus, triplici probato axiomate.

**P**Rimum est, *Nathanaëlem fuisse de numero 12. Apostolorum.*

Primò. Quia *Ioan. 21.* manifestauit se Christus tertio discipulis suis ad mare Tyberiadis. Quibus discipulis? Si latè vocabulum sumas, erit quinta apparitio, vel saltem quarta; si propriè Apostolos intelligis, tertia verè est: at inter hos discipulos adfuit Nathanaël, vt *ibidem*; ergo Apostolus erat.

Secundò. Discipulus erat, ex loco citato, non de numero 72. quos numerat S. Dorotheus; ergo de duodecim.

Tertio. Cur non Apostolus ille, qui post Andream, Petrum & Philippum quarto loco Christum nouit? Neque Ioannes Euangelista nominat socium

Andree, quo cum iuerat ad Christum: nominat autem Nathanaëlem socium Philippi. An gratis? Puto quòd illum tacuerit, hunc nominauerit cum Apostolis primis, vt priorum Apostolorum scriberet vocationem. Et, sicuti vocatio secunda, de qua *Matth. 4.* fuit quatuor Apostolorum; ita non sine mysterio indicare voluit, quòd & prima vocatio quatuor item fuit Apostolorum.

Quartò. Ante omne miraculum & omne beneficium, confessus est Nathanaël, Christum esse Filium Dei, *Ioan. 1.* reuelante Deo, vt aiunt Tertullian. *aduer. Praxeam, Iren. lib. 3. cap. 11.* August. *in Ioan.* Cum ergo, ob eandem confessionem tardius emissam à Petro, fuerit hic constitutus Apostolorum Princeps; quis neget Apostolum, si minus Apostolorum Principem, Nathanaëlem fuisse est argum. Ruperti Abbatis.

Quintò. Laudatus à Christo super alios de innocentia sine dolo, meretur primas inter primos Christi discipulos; Christo similior alijs, qui *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, 1. Petr. 2.*

Sextò. Promisit illi Christus visionem Angelorum super Filium hominis, *Ioan. 1.* quæ accidit in horto Gethsemani; vbi certè non conuenere nisi Apostoli, octo remotiùs, tres propiùs Christo Domino.

Y y Septimò.

Septimò. Fuit ille de Cana Galilææ, *Ioan. 21.* ergo verisimiliter tertia die ab eiusdem vocatione, qua factæ fuerunt nuptiæ, unâ cum alijs discipulis nuptijs interfuit; & fuit testis primi Christi miraculi in Cana Galilææ. Fuit etiam vltimi oculatus testis, miraculosæ scilicet piscationis, *Ioan. 21.* Nec deinceps vllum aliud narratur Christi miraculum. Quærit autem Petrus, vt Iudæ sufficiatur alter, qui testis esse queat, *ex quo intravit & exiit inter Apostolos Christus Iesus*, hoc est, omnium ferè miraculorum Christi, à Baptismate eiusdem vsque ad Ascensionem. Quis ergo aptior Nathanaële? at, cur neque nominatur cum Mathia & Barsaba? non alia de causa, quia iam erat ille de duodecim.

Octauò. In Græco Martyrologio, iussu Basilij Imperatoris conscripto, qui imperare cœpit anno 887. habentur hæc verba Aprilis 22. *S. Nathanaël Apostoli memoria.*

Obijcies, S. Augustinum negare, Nathanaëlem inter Apostolos fuisse: quia legis, inquit, peritus erat. Idem ex Augustino docet S. Gregorius, sed; pace tantorum virorum (cùm in historia versetur) ratio non concludit: tum quia Nathanaël piscator erat & ipse, *Ioan. 21.* tum quia ex dialogo Philippi cum Nathanaële, *Quem scripsit Moyses in lege & Prophetis, hunc inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth*, non minus infertur Philippus legis peritus quàm Nathanaël; imò magis peritus Philippus apparet: quia Nathanaël, ex textu Augustini, qui legit affirmatiuè sequentia illius verba, *A Nazareth potest aliquid boni esse*, peritorum eius temporis iudicio, imperitus legis iudicatus fuit.

fer; cùm inter peritos legis illud esset vulgatum *Ioannis 7. Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa* (in qua est Nazareth) *Propheta non surgit.* Quòd si cum Vulgata legas interrogatiuè & dubitatiuè: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* si dubitat ille, nescit. Denique, si valet ratio Augustini, Paulus ab Apostolatu peritissimus legis erat excludendus.

**A**lterum axioma est: *Dato, quòd Nathanaël fuerit Apostolus, certè non alius fuit à Bartholomæo.* Docet hoc Rupertus Abbas in *Ioan.* qui ex reuelatione scripsisse multa fertur, vt ait Panigarola *loco citando*; & primus ille hoc asseruit: quem deinde secuti sunt Ioan. Ferus in *Serm.* Cornelius Iansen, in *Concordia*, Onuphrius Panuin. in *Faustis*, Arias Montanus, Franc. Panigarola in *Concion.* qui & communem esse hodie sententiam testatur, Petrus Galefinius, Ioan. Oforius in *Conc.* Nicolaus Serrarius de *Duodecim Apostolis*, Alphonsus Ciaconius de *Vitis Pontificum*, & alij. Coniectura est. Primò ex eo, quòd Philippus & Nathanaël à *Ioan. cap. 1.* coniunguntur; Philippus item & Bartholomæus à *Matthæo cap. 10.* à *Marco cap. 3.* à *Luca cap. 6.* coniunctim nominantur. Tum ex eo, quòd à Ioanne quarto loco nominatur Nathanaël post Andream, Petrum & Philippum; Bartholomæus item quarto loco ab alijs Euangelistis. Nam licet præferantur Philippo Iacobus & Ioannes à *Matthæo*, *Marco* & *Luca*; id tamen est, vel quia de ijs narrant ob mutationem nominum cum Petro; vel ob eorum secundam, quæ solida fuit & perseuerans, vocationem. Confirmatur ex eo, quòd Ioseph minimus apud Surium socios facit prædicationis,

nis, & comites peregrinationis, Philippum & Bartholomæum. Præterea in Catalogo Apostolorum *Matth. 10. Mar. 3. Luc. 6.* (quod egregie adnotauit Panicarola) quamuis aliquantisper mutetur ordo; semper tamen primi septem sunt iidem, inter quos Bartholomæus; ultimo verò loco semper reliqui quinque recensentur, Cuius rei ratio omnium Doctorum communis est; quia isti quinque ultimi non habent in Euangelio speciales vocationes descriptas, vt de ijs septem habemus in Euangelio. Quòd si Matthæus nominet prius Thomam quam Matthæum, id fecit modestiæ causa: solus enim dicit, Thomas & Matthæus; alij verò dicunt, Matthæus & Thomas. Si ergo eorum septem descripta est specialis vocatio, vbinam habetur Bartholomæi? Certe in vocatione Nathanaëlis, qui idem est cum eo. Genere Galilæi erant Apostoli omnes, *Act. 2.* & Nathanaël est de Cana Galilææ. Piscatores ferè omnes: & quidem Bartholomæus piscator erat, ex Theodoro *lib. de Legibus*, & Metaphraste. Nathanaël autem cum alijs inuitatus à Petro dicente, *Vado pescari*, respondit: *Venimus & nos tecum*: ergo piscator erat. Sed demus etiam, doctissimum fuisse Nathanaëlem, & in lege peritissimum; concordat cum doctrina Bartholomæi, de quo testatur Dionys. *cap. 1. de Mystic. Theol.* doctissimum fuisse inter Apostolos. Quæ comparatio non cadit super doctrinam reuelatam, sed super acquisitam, in qua excelluit Nathanaël & Bartholomæus.

Aliæ sunt coniecturæ, quòd Baronius anno 78. refert obitum vtriusque, Nathanaëlis & Bartholomæi: si enim annis diuersis obiissent, eandem fuis-

se personam negaremus. Neque in Historijs Ecclesiasticis diuersum aliquid reperitur, quod indicet duos fuisse viros. Si quid scribant alij, explica vt dicemus in 3. Axiomate. Idem confirmatur ex genere mortis. Nam Bartholomæus, ex Commentariolo Hippolyti, Metaphraste, Nicephoro *lib. 2. cap. 39.* & apud Græcos in Martyrologio supra citato, affixus fuit Cruci, sicuti Petrus, Andreas, Philippus primò vocati. Si ergo est idem cum Nathanaële, congruit affixio eiusdem Cruci, vt primi quatuor vocati in passione Christi per Crucem imitanda sint æquales: & fortè inde est, quòd cum Petro, Paulo & Andrea nominatus fuit Bartholomæus in Oratione secreta Missæ, *Libera nos*, post Orationem Dominicam. quod notauimus in primo Tomo pag. 159. Crucis enim Dominicæ, quam Missa representat, insigni modo quatuor hi fuere consortes. Quòd si apud Latinos decorticatus creditur, potuit accidere vtrumque, iuxta Lipsium *de Cruce lib. 3. cap. 12.* vbi tradit, quòd ab Ægyptijs & Persis excoriabantur in Cruce. A Persis autem excoriatum fuisse Bartholomæum, scribit Panuinus *in Fastis*: sed & Armenia maior non longè distat à Persis, in qua obiisse fertur, ex Breuiario; imò & facillè potuerunt esse mores communes Armenis & Persis in genere suppliciorum. Quid plura? in Breu. Venetijs impresso 1621. legitur excoriatio Bartholomæi facta in Cruce: & expressè idem docet Guillelmus Eysengreinus *Centur. 1. par. 5. dist. 7.* cum Petro de Natal. *in Historia S. Bartholomæi.* Quibus positis, vide, an Christus hoc ei genus prædixerit mortis, quando dixit:

xit: *Vidite sub ficu, Ioan. 1.* Sub qua ficu? de qua *Ioel. 1.* *Ficum meam decorticavit, albi facti sunt rami illius.* quem locum S. Thomas Aquinas in *Serm.* explicat de S. Bartholomæo: & in ramis albis contemtor ego, quod Christus de eo testatus est, *In quo non est dolus.*

**T**ertium axioma est, *Nathanaël proprium nomen esse, Bartholomæus cognomen eiusdem viri, ita, ut Ioannes usus fuerit semper nomine proprio, ceteri cognomine.* Et hoc modo conciliantur Euangelistæ inter se, sine iactura nostræ sententiæ.

Prima pars huius Axiomatis facile probatur: quia Nathanaël Hebræum nomen viri est, & ex modo loquendi proprium est nomen; ut videre est *Num. cap. 1. 2. 7. 10. & 1. Paral. 2. 15. 24. 26. 2. Paral. 17. 35. 1. Esdr. cap. 10.* quod Interpretatum significat, Donum Dei.

Alter pars, *Bartholomæus cognomen est*, patet: tum quia vox est Syriaca, & significat filium suspendentis aquas. Vnde, cum esset Nathanaël, ait Rupertus, de Cana Galilææ, ex *Ioã. 21.* in qua Christus conuertit aquam in vinum, *Ioan. 3.* conijcitur, inditum illi fuisse hoc cognomen, tamquam filio Christi suspendentis aquas & eleuantis ad formam vini. Sicuti Iacobus & Ioannes dicti sunt Boanerges, filij tonitruum: quamquam hi à Christo cognominati fuere, ille à ciuibus; eò quòd Christo addictus fuit ex multis eiusdem loci incolis. Tum quia Bartholmæi est idem ac filius Tholmai, vel Tholomai. Certum est autem, Tholmai esse viri nomen, *Num. 13. Ios. 15. Iudic. 1. 2. Reg. 13. 1. Paral. 3.* item Tholomai *2. Reg. 13.* & fortasse pater Nathanaë-

lis vocabatur Tholmai, vel Tholomai. Similia cognomina habes inter Apostolicos viros. Bariona, seu Barioanna, filius Ioannis. *Simon Ioannis diligis me? Ioan. 20.* Barnabas, qui vocabatur Ioseph, *Act. 4.* cognominabatur Barnabas, ait Lucas. Barfabas, qui & Ioseph, *Act. 1.* Bartimæus, filius Timæi, *Marc. 10.* Quid apertius? Elymas etiã magus cognominatur Bariesu, *Act. 13.* ergo pari modo Bartholomæus cognomen erat.

Tertia pars Axiomatis explicatur. Nam aliqui binomij sapius cognomine quàm nomine appellantur; ut Barnabas, qui Ioseph, & Marcus, qui Ioannes, *Act. 12.* Petrus, qui Simon, & Matthæus, qui Leui à Luca vocatur proprio nomine *cap. 5.* Thaddæus, qui & Iudas. Quare primitres Euangelistæ communiori vsu sunt cognomine Bartholomai; Ioannes vltimus, qui recondita scripsit, Nathanaëlis nomine est vsus: & ea lege, ut ij numquam nomine Nathanaëlis, hic numquam cognomine Bartholomai sit vsus. Qua ratione tollitur pugnantia, & facillimè conciliantur Euangelistæ.

Ceterum, quando ij non sint idem, non possum non mirari, Nathanaëlem, laudatissimum à Christo virum, Iacobo Patriarchæ, Israël (qui vidit Angelos ascendentes & descendentes) assimilatum, innocentia præclarum, testem primi & postremi miraculi à Christo editorum in hoc mundo, cui promissa fuit Angelorum visio super Filium hominis descendentium, ita à Deo ipso deinde neglectum, ut neque corpus honoretur in terris, neque nomen habeatur in Martyrologijs; in quibus, si benè obser-

ues,

ues, nomina leguntur eorum omnium, vel minimorum, quorum fit mentio in Euangelijs, vel in Actibus, vel in Epistolis Apostolorum. Quid ergo causæ est, ut nihil de Nathanaële aut scribatur aut commemoretur, nisi quia de eodem dicimus, cum de Bartholomæo loquimur?

Novi, quid de Nathanaëlis prædicatione & sepultura scripserint Fl. Lucius Dexter (si tamen est ille auctor, quod non creditur) Vincentius Beluac. in *Speculo Hist.* & Equilinus lib. 1. cap. 9. Sed cum ille prior, à quo alij, eum dicat obiisse anno Christi 105. Baronius autem obiisse Nathanaëlem scribat anno 78. quo & Bartholomæus, quis non videat, duos fuisse Nathanaëles? nos autem de seniore loquimur, quem cum iunior illi confundunt; & in te incerta abundare quisque potest in sensu suo.

Verè Israëlita Bartholomæus fuit, Iacobo similis, qui dum luctaretur cum Deo, hoc est, dum oraret (si Hieronymo credas) Israël est cognominatus. Orabat autem ille centies in die, centies in nocte; non modò post apostolatam, sed etiam antequam Christi esset discipulus, qui ideò tunc temporis Israëlita fuit appellatus à Christo.

Adhuc, *Israël* sonat, ex Hieronymo, Princeps cum Deo. Si ergo Princeps cum Deo fuit Nathanaël, certè

inter eos Principes Ecclesiæ annumerandus erit, de quibus David, *Constitues eos Principes super omnem terram.* quem Verſum de Apostolis explicat Ecclesia. Fortis etiam cum Deo communiter hanc vocem *Israël* interpretantur; quia Iacob oratione vicit Deum: & oratione, ut dictum est, centies in die, & centies in nocte, vicit Deum Bartholomæus.

Denique eidem promissa fuit scala Iacob, per quam ascendebat & descendebant Angeli, *Ioan.* 1. quod in Bartholomæo est adimpletum: qui cælestis Doctrinæ & Euangelij quasi scalam ascendens & descendens vnà cum alijs Theologis, velut Angelis de Deo enarrantibus, formavit inde adagium illud, quod à Dionysio 4. de *Divinis nominibus* tribuitur Bartholomæo. *Euangelium*, aiebat ille, *magnum est & latum; rursus paruum & concisum:* quia verè ascendimus & descendimus in doctrina sublimi & humili Christi Domini nostri.

Hæc scripsisse voluimus grati animi ergò in eius laudem, cuius traditum nobis cognomen fuit, nomen, & omen, à die septima Octobris 1587. quo scilicet habitum regularem sancti Pauli vnà cum nomine decorticati Bartholomæi quàm lætissimè suscepimus. Quòd si ad prædicta probanda non possunt singula, multa iuvant. Boni consule, amice Lector, & vale.

L A V S D E O

D A

Y y 3

Ora-

## Oratio dicenda ante diuinum Officium.

**A** Peri Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum : munda quoque cor meum ab omnibus vanis , peruersis & alienis cogitationibus ; intellectum illumina , affectum inflamma , vt dignè , attentè ac deuotè hoc Officium recitare valeam , & exaudiri merear ante conspectum diuinæ Maieftatis tuæ . Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Domine in vnione illius diuinæ intentionis , qua ipse in terris laudes Deo persoluisti , has tibi Horas persoluo.

*Orationem sequentem deuotè post Officium recitantibus , Leo Papa  
Decimus defectus & culpas in eo persoluendo ex huma-  
na fragilitate contractas indulgit.*

**S** Acrosanctæ & indiuiduæ Trinitati , crucifixi Domini nostri IESV CHRISTI humanitati , Beatissimæ & Gloriosissimæ semperque Virginis MARIÆ fecundæ integritati , & omnium Sanctorum vniuersitati , sit sempiterna laus , honor, virtus & gloria ab omni creatura , nobisque remissio omnium peccatorum , per infinita sæcula sæculorum. *R.* Amen.

ÿ. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium. *R.* Et beata vbera quæ lactauerunt Christum Dominum. Pater noster. Ave Maria.

LAUS DEO.

A D